

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken


**Ad Avdiendam Orationem In Bilefeldensi Artivm Collegio
A.D.V. Aprilis MDCCLVIII. Habendam, Qva Pvblicvm
Rectoris Gymnasii Bilefeldensis Mvnvs Avspicabitvr
Magnificos, Consvlitissimos, Amplissimos ...**

Manso, Johann Siegmund

Bilefeldae, MDCCLVIII.

VD18 13075799


[urn:nbn:de:gbv:45:1-704468](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-704468)





Ge A
B
368





1762





AD
AVDIENDAM ORATIONEM
IN BILEFELDensi ARTIVM COLLEGIO
A. D. V. APRILIS CIO IO CCLVIII. HABENDAM,

QVA
PVBLICVM RECTORIS GYMNASII BILEFELDENSIS MVNVS
AVSPICABITVR

MAGNIFICOS, CONSVLTISSIMOS, AMPLISSIMOS

HVIVS
CIVITATIS PATRES

ET
GYMNASII PRAESIDES

NEC NON
PATRONOS, FAVTORES

ET
CVLTORES

LITTERARVM INCLITAE HVIVS VRBIS RELIQVOS
OMNI, QVA OPORTET, OBSERVANTIA ET HVMANITATE
INVITAT

ET
NVN CONDVCAT REIPVBLICAE,
MVLTO ALERE CIVES ERVDITOS,

PAVCIS DISQVIRIT


IO. SIGISMVNDVS MANSO.

BILEFELDAE, TYPIS FRANCISCI WILHELMI HONÆI.
CIO IO CC LVIII.

EX BIBLIOTHECA
OLDENBVRGENSI.

*Bilefeld, 1759
Bibl. 5.4.
1759*







Pervulgatae esse solent aetate nostra querelae de iusto maiori eorum numero, qui litteris vitam consecrant; et adcuratius paullo si attendas, iactantur illae a cuiusvis generis hominibus, doctis pariter, qui videri saltem volunt, ac indoctis. Qui semel interumue munus ambiuit publicum, ille, repulsam passus, de candidatorum multitudine queretur; qui causam pro aliis dicendo, aut saluberrimam Aesculapii artem exercendo, aut paruulos instituendo, aut quoduis aliud agendo, vix ac ne vix quidem panem lucrari possunt, non semet accusabunt ipsos, sed frequentiam collegarum, qui foro dant operam, qui medicinam faciunt, qui in formanda desudant iuventute atque elaborant. Ita enim a natura facti sumus nos mortales, ut rerum aduersarum, quae nos male habent, culpam manibus pedibusque a nobis amovere, et conuertere in alios nitamur. Qui has habent querimonias, hi fere sunt, qui parentibus, in certo dignitatis gradu constitutis, nati, sibi solis competere Parnassum opinantur; reliquos illius aditu arcendos esse omnes. Quare iram euomunt in eos, qui, ut ut fortuna et maioribus sunt inferiores, ingenio, studio, eruditione, ad honores ascendunt, qui, ex ipsorum opinione, non nisi sibi debebantur.



Si discedamus ab his, et, qui Musis non fecerunt stipendia, audiamus, eorum querimoniae eo fere spectant, eruditorum abundantia reipublicae multos detrahi ciues, qui sibi met ipsis impedimento sint, aut plane nihil, aut magno conatu magnas agant nugas, patriae, quae nullum ab iis emolumentum sibi habeat polliceri, sint oneri, cuius commodis, si aliud vitae genus delegissent, si arti aut opificio consecrassent dies, insigniter potuissent inferuire. Non enim eruditione, sed artibus adquiri diuitias, rempublicam florere, ab hostium excursionibus tutos reddi patriae fines. Cuius rei testes esse volunt ciuitates, regiones adeo, qui olim florere maxime, et adhuc quidem vigent, omnes. Discutiamus igitur adcuratius paullo horum hominum querelas; et *verum damno sit reipublicae, an emolumento, dispiciamus, magnam intra fines suos habere virorum eruditorum frequentiam.*

Forte supersedere possemus huic labori, si, quid sibi velit eruditi nomen, ignoraret nemo. Verum enim vero grauem et honorificam, quae paucis competit, adpellationem, vulgus tribuere consuevit omnibus, qui per aliquot annorum interuallum in litterarum vniuersitate commorati sunt, nomenque dederunt vel sacrarum litterarum, vel legum, vel salutaris artis studio; nihil omnino curans, quid in his, quas profitentur, litteris profecerint. Pone iam theologiae studiosum, qui nec litteras callet humaniores, nec sacras; qui tantum abest, ut diuinitus nobis traditas scripturas in fontibus legere queat, ut potius omnium, quae ad earum intellectum requiruntur, linguarum plane sit rudis, simulque fatorum, quae ecclesia a priscis inde temporibus habuit expers; quod, bone Deus, commodum hic adferet reipublicae? quum nec formando nascentis aetatis ingenio aptus est, quippe qui ipse ut institutatur opus habet, nec mysteriis diuinis explicandis, et populo erudiendo, emendando adeo, et reddendo meliorem, habilis. Aliorum serinia compilabit, oracula peruertet sanctissima, imperitae plebi fucum faciet. Finge legum cultorem, ut vocari quidem amat, re vera autem iusti et recti aduersarium, peruertentem diuina et humana iura omnia, immo legibus et iure ipso ad euertendum ius et fas callide abutentem, rabulam importunissimum, id modo agentem, ut clara faciat obscura, eludat iudicem, astute decipiat clientem; leguleium, ut Ciceronis (*) verba faciam mea, cautum et acutum, praeconem actionum, cantorem formularum, aucupem syllabarum; quis nega-

(*) de orat. I, c. 55.



negare audebit, eum maximo reipublicae esse detrimento? Fac tandem Aesculapii filium, quem spurium rectius adpellaueris, qui nec corporis humani structuram, nec genera morborum, nec remedia, quibus mederi illis fas est, recte nouit; cuius tota cognitio quibusdam nititur obseruationibus, siue recte, siue perperam institutis, certisque medicamentis, quibus semel forte optatus respondit successus, quae quidem, omni posthabita circumstantia, valentis consuetudine, et natura corporis semper adhibere consuevit; hic, quum impune necat, non nisi vespillonibus, aliisque, libitinam exercentibus, nec non auari cuiusdam auunculi heredibus, qui eius morte magnarum opum possessores fiunt, vtilitatem adfert, reliquis exitio est fere omnibus.

Qui igitur eruditi nomen tam late patere putant, vt huius quoque conditionis homines comprehendat, iis, quid opponam, non habeo, si de eruditorum queruntur multitudine, ambabus concedens, illos pestem esse reipublicae. Caueamus autem, ne sacram eruditi adpellationem hoc modo profanemus. Amplam enim illa iure quodam suo postulat eamque solidam multarum rerum cognitionem, ita comparatam, vt quas proficitur quisque scientias recte perspiciat, distincte queat explicare, et rationes, si modo adsint, reddere. Non sufficit, vnum alterumue ex quauis disciplina caput superficialiter nosse, peregrinorum vocabulorum congeriem memoria tenere, et scientias a limite gustasse, vt fumum vendere et imponere possimus imperitis. Linguarum genium intelligat, qui doctus vult vocari, necesse est, iisque ad rerum cognitionem adquirendam vtatur; optimis litteris non leuiter eum esse tinctum oportet, sed plane imbutum, veritatumque nexum perspicere debet atque combinationem, ita, vt ex notis incognita deducere valeat. Neque nosse sat est, restat, vt, quae nouit, in vsum conuertat publicum. Qui hanc docti viri faciem habet ante oculos, num dubitare potest, tanta ex eruditione in rempublicam redundare commoda, quanta possunt esse maxima? Quid, Tullio teste, (*) dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? At brutis animantibus essemus similes, si procreasse illos, putaremus fatis, eosque oleastri instar arborescere, moresque malos, superbiam, fociordiam, vitiaque omnia, quasi herbam irriguam, succrescere fineremus, neglecta plane eorum educatione, institutione, emendatione. Quid igitur nos debere

A 3

(*) orat. ad Quirit. post redit. Cap. I.



bere arbitramur paedagogis, qui in se fuscipiunt puerorum educationem, ad quam ipsi vel non sumus idonei, vel negotiis ita implicamur, quo minus curam illius habere possimus; fidis praeceptoribus, qui paruulos nostros a prima inde infantia linguas docent, earumque auxilio simul multarum rerum cognitione imbuunt, memoriam exercent, formant ingenium, iudicium acuiunt, quo ita cogitare, ita, quae animum subiere, eloqui adfuescant, ut maiores, ingenio, gloria, dignitate maxime suo quisque tempore florentes, cogitarunt et loquuti sunt; qui omni animi impetu in id incumbunt, ut iuuenum mores, qui a natura feri esse solent, mites, probatos, compositos faciant, et illustrium virorum exemplo, quod subinde iis ante oculos ponunt, eos excitent, ut ad parem gloriam, nominis famam, integritatem vitae, honorem, dignitatem adspirent; verbo, qui non sibi, sed posteritati viuunt, quum totam vitam in eo consumunt, ut nascentem aetatem, iuuentutis florem, meliorem reddant, omnemque mouent lapidem, quo, qui curae ipsorum commissi sunt, ita instituantur, ut boni et probati ciues, fulcra reipublicae euadant, qui patriae officia non poenitenda praestent, eamque aut consilio aut re adiutum eant.

Vera et constans felicitas, quae in perturbato quoque rerum statu inconcussa manet, sine religione frustra quaeritur. Nihil adflictum solari, reddere illi spiritum, et abiectum erigere animum potest, quam viua de summo Numine et sapienti rerum omnium gubernatore, viua de eius perfectionibus et operibus cognitio, et certa fiducia in hoc cuiusvis boni fonte collocata. Quam autem in Deo poneremus spem, cuius leges quotidie migramus, et quem ob peccata nostra iratum nobis nouimus, nisi sacrae paginae nobis redemptorem *θεανδρωπον* ostenderent, qui morte et sanguine nostras expiauit defectiones, Deoque nos placauit. Quam igitur in hac et futura vita speramus felicitatem, haec reuelatis illis pandectis nititur omnis. Grates igitur persoluamus grauius viris, qui quotidie illas rimantur, magnam linguarum vim improbo sibi labore comparant, eum in finem, ut verum earum sensum eruant, eumque tradant auditoribus; dogmata inde excerpant cognitu absolute necessaria, iisque salutarem cognitionem in dies augeant. Sed maiora adhuc restant, quae res illis publica debet; non enim intellectum modo iuuant, sed animi etiam propensiones flectunt, et qui natura ad vitia inclinant, ducunt ad virtutem. Aeternas enim naturae leges, earumque primam et reliquarum fontem, quod tibi non vis fieri,



feri, alteri ne feceris, eique oppositam, sacrae etiam inculcant litterae, eo modo discrimine, ut grauiora addant momenta, quam ratio sibi relicta potest excogitare. Quae qui orationis flumine ut alter Chrysostomus proponit, flectet auditorum animos, quo demum cunque velit, et si non praeceptis modo sed exemplo etiam docet, fieri non potest, quin meliores faciat ciues.

Omnis societas certis fundata est legibus, sine quibus consistere non potest. Quum autem non omnes prouisi sint ad illas obseruandas, constituantur iudices necesse est, qui sedulo excubent ac vigilant, ne ab altero alteri fiat iniuria. Hi lites componunt, suum tribuunt cuique, exquisitè circumspiciunt, ne quis impune laedatur; vigilant pro vniuersa ciuitate, communem ante oculos habent salutem, rem publicam praestant incolumem, florentem, vigentem. Tranquillius igitur ciuitatis status, quo nec hostem externum, nec seditionem metuit, a iurisconsultis dependere videtur paene omnis. Sed non singularum modo ciuitatum, sed regnorum etiam integrorum iura ab iis sancta seruantur. Pacis eos publicae custodes recte nuncupaueris; quae si forte turbata et horrendis bellis deuastatae fuerint regiones, a summis hisce viris, qui principibus sunt a consiliis, quibusque gentis cuiusuis iura sunt perspecta, furore armorum sopito, solet confici atque confirmari. Ita autem saepe numero comparatae sunt leges ciuiles, latae a maioribus, ut ab imperito non plane intelligi queant. Quare a priscis inde temporibus fuere causarum patroni, qui, adquisita iuris notitia, verba pro aliis fecerunt, eoque viderunt, ne is, cuius causam in se susceperant, ab altera parte defraudaretur. Hi viri, in quos plebs saepe fulmen brutum emittit, dummodo maneant in officio, omni laude digni optimo iure censendi sunt. Namque horum ope iudices causam facilius perspicere, verum a falso discernere, ius dicere et quod cuius debetur, possunt tribuere. Quicumque igitur secure viuere cupit, nobiscum fateatur, iurisconsultos reipublicae maxima praestare commoda, quippe sine quibus labare et breui penitus corruere deberet.

Ita a natura procreamur nos mortales, ut morborum stamina nobiscum nascantur, utque ipsa adeo natiuitate doloribus inde ortis simus obnoxii. Nexus, cui immergimur naturaliter et proxime, res externae, tempestates, varie adficiunt corpus, turbata reddunt eius conditionem, atque valetudinem infirmant ac debilitant. In primis autem
tem



tem nostra ipsorummet saepe culpa subest, nostra scilicet adcusanda intemperantia, cui in adolescentia fuimus dediti, quae vires infringit, et eneruat et exhaustum corpus tradit senectuti. Largior autem natura, quae indigentiae succurrit nostrae, medicinam quoque his morbis parauit, quum prae saluberrimis ornauit herbis, quibus mederi cuius fere malo possumus. Verum non omnibus licet diuinam illam exercere artem. Adcuratam supponit cognitionem humani corporis structurae, stupendae huius machinae, diuersorumque, quibus agitur, vectium, trochlearum atque rotarum. Perspexisse iuuat, quem quaeuis particula praestet usum, quis oriatur status, si vel tenuissima pertubetur. Postulat deinde distinctam morborum, qui cruciari mortales solent, notitiam, unde oriatur unusquisque, quatenam habeat *συμπτώματα*, quae *κρίτηρια*, quos effectus producat. Tandem requirit exactam *φαρμακων* scientiam, ex quibus quoduis vel herbis, vel metallis, ac quo modo paretur et misceatur, ut salutaris inde fiat medicina. Qui ita instructus exercendae se tradit medendi arti, eius, ut ego quidem opinor, in rem publicam merita tanta sunt, tamque eximia, ut non satis praedicari possint. Num enim paruum existimamus, dies noctesque in visendis infirmis et graui morbo laborantibus consumere, nil nisi querulas et lugubres cognatorum voces audire, foedum et tetrum odorem attrahere, pestilentia non subterfugere loca, neque iis opem negare aegrotis, qui

Afflatuque nocent et agunt contagia late; (*)

venenatum adeo recipere aërem, et praesentissimo periculo se vitamque exponere suam? Qui, postquam semel aegrotarunt, bonam valetudinem, uti par est, aestimare didicerunt, expertique nouerunt, quam sit iucundum, ex graui recreari morbo, hi certe peritum et prudentem medicum quouis honore dignum iudicabunt. Quid enim nos iuuant opes, diuitiae, dignitates, voluptates, si corporis valetudo prohibet, quo minus illis fruamur.

Haecenus perspectum dedimus, quanta et quam egregia litterarum humaniorum pariter ac sacrarum, nec non iurisprudentiae et artis medendi cultores in humanum genus commoda diffundant ac beneficia. Quum autem plures restent scientiae, quas in praesenti sigillatim prosequi haut possumus, sumamus adhuc, si placet, mathe-

fin,

(*) Ouid, Metam. VII, 551.



fin, et, qui reipublicae inde nascantur fructus, paucis dispiciamus. Vix autem ullam esse puto scientiam, quae tanta societati humanae adferat commoda, quanta ex mathematicis disciplinis in eam redundant. Firmat attentionem, acuit iudicium, ratiocinationem format, claris et distinctis, immo completis rerum notionibus, certis veritatum demonstrationibus nos adfuefacit, genuinum sapientiae et virtutis amorem, laborum patientiam, modestiam, et amicam iustae correctionis tolerantiam producit. Praeterea omnes fere quas nouimus ciuiles artes mathematica fundatae sunt. Arithmetica carere posse neminem, exemplo nobis esse possunt infimae fortis homines, qui defectu huius scientiae digitis res numerare coguntur; quo ostendunt satis, ipsam emendi, vendendique rationem arithmeticae auxilio sustentari. Mercatores breui aes contraherent alienum, et vectigalibus qui praesunt, generatim, qui publicos administrant redditus, mox foro cedere deberent, nisi artis numerandi probe essent gnari.

A geometria plurimi artifices suas acceperunt artes, quibus, societati humanae inseruiendo, panem lucrantur. Dum sartor mensurat corpus nostrum, superficiem eius determinat, et secundum mensuram acceptam ita signat et scindit pannum, ut, postquam confutus fuerit, corpori nostro conueniat. Hic non minus quam ii, qui pileos conficiunt, capillorum quoque concinnatores atque sutores regulam illam mathematicam obseruant: si duo conueniunt alicui tertio, conueniunt inter se. Nam quia noua tunica, calceamentum, pileus et capillamentum ad mensuram illam elaborata sunt atque constructa, recte colligunt, ea nostro quoque corpori apta fore. Verum quidem est, bonos illos homines regulam illam geometricam ignorare; attamen certum est, omnes illas artes non nisi geometriae ope esse inuentas.

Sine mechanica, quae vires corporum nos docet, quatenus in motu sunt, nec molas haberemus, quibus frumenta commode contunduntur, nec horologia, horarum indices, nec omnes alias machinas, quibus corporis tegumenta conficiuntur. Tibialia, linteum, pannum et vestes sericas ignoraremus, nisi ipsae araneae nos texendi docuissent artificium, mechanica autem machinas inuenisset, quibus varia haec textilia fieri possunt. Quis currus, rhedas, trahas, nauigia, mechanicae ope exstructa negabit? Frustra sudarent opifices plurimi sine hac

B

scien-





scientia, quum, quae pro facilitando opere suppetunt instrumenta, e confertissimo mechanices promptuario desumpta fuerint fere omnia; nec quisquam temere ibit inficias, debere etiam agrorum culturam huic disciplinae suas pariter machinas et elementa.

Astronomia nouum praebet pro mathematicarum scientiarum utilitate argumentum. Numquam certe ad summum illud, in quo nunc superbit, fastigium adscendisset, ne spirasset quidem vmquam, mercatura, nisi alas ipsi aptasset utilissima mathesis, viam indicans, non nisi exacta fiderum notitia inuestigandam, qua vasta maris aequora fulcare, ad extremos currere Indos, indeque, quae vsui nostro inferuiunt, aduehere, ficque fortunas nostras augere quam maxime liceret.

Architecturae vsus, vel in pace eum spectes, vel in bello, semper manebit insignis. Ut negotia nostra commodè perficere, vt vel ab aëris iniuriis corpus et bona nostra, vel ab excursionibus hostium tueri nostros fines queamus, hoc omne illi debemus scientiae, quae domum exstruere, et urbem munire nos docuit. Architecti, fabri lignarii, murarii atque tignarii, sculptores quoque, aliique opifices artes suas ab architectura repetunt.

Longum esset, singulas percurrere matheosos partes, et quid a quauis exspectare liceat, ostendere. Sufficiant haec pauca ad summam eius in republica utilitatem probandam; et generatim quae disputauimus sufficiant, ad egregia demonstranda commoda, quae eruditio adfert reipublicae. Obmutescant igitur querulae de doctorum virorum frequentia voces, quum tantum abest, vt illa societati humanae obsit, vt potius summa sibi commoda inde habeat polliceri. Id modo agamus sedulo, vt vere eruditorum numerus, qui haut ita magnus est, in dies magis magisque crescat. Caueamus igitur, ne cui auctores simus, vt inuita Minerua Musis stipendia faciat; caueamus, ne quem ad certum studiorum genus cogamus, a quo eius longissime natura animusque abhorret. Integrum cuius relinquamus, eam prae caeteris eligere vel artem vel scientiam, cui ingenium a natura aptum accepit. In id omni animi impetu incumbamus, vt ingenium, facultates, provisiones eorum, qui Musarum castra sequi decreuerunt, examinemus-
quo



quo facto ipsis suadeamus, vt ei sese tradant scientiae, quae maxime ipsis videtur conuenire. *De quo doctoris scholastici officio, in examinando ingenio eorum, qui curae illius commissi sunt, crastina luce plura differendi oportunitas mihi dabitur.*

Quum enim, ab AMPLISSIMO SENATV ad publicum Gymnasii Rectoris munus euocatus, iam in eo sim, vt prouinciam benignissime mihi decretam solemni ritu in me suscipiam: non putavi esse alienum loco, tempore, institutis nostris, publicum docendi munus auspicaturus, de necessario hoc praeceptoris officio verba facere. Destinatus est huic orationi crastinus si Deus dederit dies ab hora VIII. antemeridiana, ad quam, gratiose, beniuole et humaniter audiendam, vt VIRI MAGNIFICI, CONSVLTISSIMI, PATRES HVIVS CIVITATIS AMPLISSIMI, et omnes rei litterariae, Gymnasii in primis nostri, MAECENATES, PROMOTORES, FAVTORES et AMICI, comparere frequentes, ne dedignentur, demissis ac perofficiosis, suo quemque loco, precibus, cupio rogatum. P. P. BILEFELDAE, a. d. IIII. Aprilis MDCCLVIII.



